Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8172
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Confitebor tibi domine in toto corde meo narrabo omnia mirabilia tua
Lætabor et exultabo in te psallam nomini tuo altissime
In conuertendo inimicum meum retrorsum infirmabuntur et peribunt a facie tua
Quia fecisti iudicium meum et causam meam sedes super thronum qui iudicas iustitiam
Increpasti gentes et perdidisti impium nomen eorum delebis in eternum et in seculum seculi
Inimici defecerunt frameas in finem et ciuitates destruxisti perierunt memoria eorum cum sonitu
Et dominus in eternum permanet parauit in iudicio sedem suam
Et ipse iudicabit orbem terrarum in iustitia iudicabit populos in equitate
Et factus est dominus refugium pauperi adiutor in opportunitatibus in tribulatione
Et sperent in te qui nouerunt nomen tuum quia non dereliquisti querentes te domine
Psallite domino qui habitat in sion annunciate inter gentes studia eius
Quia requirens sanguinem eorum recordatus est non est oblitus clamorem pauperum
Miserere mei domine uide humilitatem meam de inimicis meis
Qui exaltas me de portis mortis ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filie sion
Exultabo in salutari tuo infixe sunt gentes in interitu quam fecerunt
In laqueo isto quem absconderunt comprehensus est pes eorum
Conuertantur peccatores in infernum omnes gentes quae obliuiscuntur deum
Quia non in finem oblivio erit pauperis patientia pauperum non peribit in finem
Exurge domine non confortetur homo iudicentur gentes in conspectu tuo
Constitue domine legislatorem super eos ut sciant gentes quoniam homines sunt
Et quid domine recessisti longe despicis in opportunitatibus in tribulatione
Dum superbit impius incendit pauperem comprehendantur in consiliis quibus cogitant
Quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae et iniquus benedicitur
Exacerbauit dominum peccator secundum multitudinem irae suae non quaerit
Deus est deus in conspectu eius inquinate sunt viae illius in omni tempore
Auferentur iudicia tua a facie eius